Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26011
Copyright: Admont, Benediktinerstift

crucifixus, pro crucifigentibus se patrem postulabat, ut dimitteret
illis peccatum. Et quomodo in[quis] possum dominum imitari? Si volueris
potes. Si enim [in]possibile erat imitari eum, quomodo dicebat: discite
a me quia mitis sum et humilis corde? Nam si impossibile esset
imitari eum, nunquam paulus dixisset: imitatores mei estote
sicut et ego christi. Quod si dominum imitari non vis, imitare servum eius
Stephanum, quem et apostolum dico; nam ille dominum imitatus est. Et quem
admodum christus inter crucifigentes se relinquens crucem
relinquens propriam persecutionem, pro crucifigentibus se deprecabatur
patrem, ita et servus eius inter lapidantes se suscipiens iacula saxo
rum et dolores qui ex ipsis fiebant dicebat: Domine ne statuas illis
hoc peccatum. Audisti quomodo secundum dominum locutus est servus. Ille ait:
pater dimitte illis peccatum, nesciunt enim quid faciunt. At iste dicit:
domine ne statuas illis hoc peccatum. Et ut discas quam cum omni solli
citudine oravit, positis inquit genibus orabat dicens: Domine ne
statuas illis peccatum hoc, quia tu es pius et benedictus in secula seculorum. Amen.

SABBATO SANCTO PASCHE SERMO AUGUSTINI EPI[SCOPI]

IUDEI ERGO QUONIAM
parasceue erat ut non remanerent in cruce corpora sabbato
erat enim magnus dies ille sabbati, rogaverunt pilatum ut frange
rentur eorum crura et tollerentur. Sic enim dies illa sabbati in lege
magna erat sicut et hic iohannes evangelista commemorat, ita et dies
redemptionis domini magnus fuit universo humano generi. Quod
vero dicit rogaverunt pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur,
non ut crura tollerentur petierunt, sed hi quibus ideo frangebantur ut mo